



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

11 Quæ res hoc tempore mensurentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

Quomodo sit vnicuique tempus, & directa questionis
resolutio.

XI.

Atque hinc tandem, vt questionis propositae in forma respondeamus, concluditur vnicuique esse tempus in vniuerso, quod propriam rationem extrinsecam mensurae habeat, illudque esse in motu coeli. Hae est sententia Aristotelis in 4. Physic. quem & Philosophi, & Theologi interpretantur, & sequuntur. Apud quos frequens est illa distinctio, tempus dupliciter accipi solet, vno modo absolute pro duratione intrinseca motus, & sic multiplicari temporis aequae ac motus vt supra dictum est. Alio vero modo sumi pro mensura extrinseca & communi ceterorum motuum, partim à natura existente fundamentaliter, seu inchoatiue (vt ita dicam) partim per rationem diuisa, & ad mensurandum accommodata, & hoc modo esse vnum tantum tempus illudque esse in motu coeli. Ita sumitur ex D. Tho. in 2. d. 12. q. 1. art. 5. ad 2. & 3. q. 48. ca. de Quando, quia in aliis locis absolute & sine distinctione vlla vnum tantum tempus esse dicitur, vt patet ex opusculis 36. c. 2. & 1. par. q. 20. art. 6. & q. 66. a. 4. ad 3. licet ex hoc postremo loco etiam possit praedicta distinctio & doctrina colligi. Quam etiam habet Caiet. 1. part. q. 10. a. 6. vbi ita D. Thom. exponit, & Capre. in 2. d. 2. quae. 2. a. 3. & lauell. 4. Physicor. q. 23. vbi idem tenet Iandun. q. 28. Et eandem distinctionem tradiderunt Alenf. 2. part. quae. 8. memb. 9. & Bona. in 1. d. 3. in. 2. p. circa litteram magistri num. 33. & Thom. de Argent. in 4. d. 48. artic. 4. quae. vnic. Ratio vero huius partis nota est ex dictis, quia in solo illo motu reperiuntur conditiones omnes ad huiusmodi mensuram requisitae. Ex ipso etiam vbi id satis constat, nam quotiescunque de duratione alicuius actionis vel inferioris motus iudicare volumus eam conferimus cum motu coeli, vt id cognoscere possumus.

XII.

Nec refert, quod interdum vtimur etiam aliis motibus inferioribus in ratione mensurae extrinsecae alicuius actionis, vt motu horologii: nam & hoc etiam motus assumimus vt mensuramus per motu coeli, & ita non mensurant nisi veluti in virtute eius, & quatenus notificant durationem eius, & praeterea ex se sunt imperfecte, & (vt ita dicam) inconstantes mensurae propter illorum motuum facilem variabilitatem & irregularitatem. Et eadem ratione non refert, quod aliquando etiam vti videmur inferioribus motibus ad mensurandam durationem ipsius motus coeli, nam re vera non vtimur illis vt mensuris, sed vt signis nobis propinquiioribus, quibus vtimur ad cognoscendum quanta pars motus coeli defluxerit, vt possumus illa vti tanquam mensura nostrarum actionum.

SECTIO II.

Quas res, & quid in istis rebus hoc tempus
mensuret.

I.



Rimum omnium certum est, omnes motus physicos & corporales hoc tempore mensurari, seu esse mensurabiles, ita enim semper accipiendum est, vt careat omni difficultate:

II.

Secundo addendum est, tempus mensurare in his motibus primo ac per se moram & durationem eorum. Hoc per se notum est experientia, & ratione patet, quia mensura debet esse homogenea: vnde metitur ipsum mensurabile, quatenus habet conditionem eiusdem generis. Deinde consequenter fit, vt mensuret velocitatem vel tarditatem motus, adiuncta tamen quantitate spatii: nam per comparationem ad vtramque quantitatem velocitas cognoscitur, eo quod velocior motus sit, qui & quale spatium

in minori tempore, aut maius spatium in aequali tempore pertransit. Denique consequenter etiam metitur vniuersitatem aut difformitatem motus, nam haec confurgit ex aequali vel inaequali velocitate partium motus. Aliqui etiam addunt mensurare perfectionem motus, sed haec ratio mensurae, vt iam dixi, non spectat ad praesens. Eo vel maxime quod sub hac ratione tempus vt tempus non mensurat motum, sed vnius motus vt motus perfectior est mensura alterius. Et in eo genere non constat motum coeli quoad essentialiam perfectionem, quam habet in ratione motus esse perfectiorem omnibus aliis, licet in eis conditionibus quae ad mensuram durationis requiruntur, eos excedat, de quare, in superioribus dictum est.

Dices, quomodo potest tempus mensurare motus, cum sic notius illis? Respondetur dupliciter hic posse fieri comparisonem. Vna est motus celestis ad ceteros motus, alia est temporis vt sic, ad motum in ratione notioris, vel minoris notum. Priori modo dicunt aliqui motum celestem esse quidem minus notum nobis, esse tamen notioiorem naturae suae, id est, satis esse, vt duratio eius in mensuram assumatur. Sed hoc non recte dicitur, tū quia illa mensura non est vt Deus vel angelica videntur, sed homines, mensura autē illis debet esse notior, ad quorum usum instituitur. Alias quomodo deserviet illis, vt per eam cognoscant alia, quae mensuranda sunt. Tum etiā quia huius motus non est notior nobis, cui dicitur naturae suae notior, nec enim est simpliciter nobilior in genere entis, nec etiam ab illo essentialiter & perse pendet ceteri motus: vnde tam notus est angelis vel nostro localis motus, vel motus augmentationis aut alterationis. Dicendum ergo est, illum motum esse notioiorem nobis, quantum necesse est ad rationem mensurae, nam, licet fortasse quantum ad efficientem causam eius, & alia similia minus notus nobis sit, & licet in se ipso non ita sensibiliter videatur sicut inferiores motus, tamen quantum ad an est, & quantum ad vniuersitatem suam, & perpetuitatem est simpliciter & generatim respectu omnium hominum notissimus, saltem per astra quae posita sunt in signa illius motus.

III.

De altera item comparisonem dubitat aliqui, quia obscurius esse videtur tempus quam motus, & ideo non videtur esse apta mensura motus. Antecedens patet, quia motus per se ipsum sensibus patet, tempus vero difficillimum cognitum est. Respondetur tamē, si haec duo in genere comparantur, & cum proportionem, neutrum esse notius alio, nam quantum ad an est, & quae notum est dari tempus, ac dari motum quia & quae euidenter est durare motum dum fit, seu aliquē motu consumere, ac est euidenter esse vel fieri motum: tempus autē in comuni loquendo idē est quod duratio motus. Si verō comparentur quantum ad quid est, & quae obscure in vtroque explicatur. Si denique comparentur sub ratione mensurae & mensurati, sicut tempus mensurat vt est duratio quaedam, ita quod in motu per illud mensuratur, est duratio eius: ergo quantum ad hoc etiam aequalis ratio. Comparatio ergo non debet fieri inter tempus & motum, sed inter vnum motum, & alios, & inter durationem vnius, & durationes aliorum, & hoc modo constituitur optime ratio temporis, & differentia vel excessus est, quia illa duratio assumitur in mensuram & accipit cōplectam rationē & denominationē temporis, quae est in motu, qui comparatione aliorum motuum notior est, & alias habet conditiones ad mensurandum requisitas, vt explicuimus.

IV.

Sed quare aliquis, esto hoc verum sit comparando motum coeli ad inferiores motus, quid dicendum sit comparando ipsos motus celestes inter se. Respondetur absolute loquendo, etiam motus inferiorum orbium celestium mensurari motu primi mobilis, atque ita in illo esse, simpliciter loquendo, tempus, vt habet rationem primae & vniuersalis mensurae, quam

V.

Quis inter
celestes mo-
tus sit cor-
pus mensura.

quam ex motibus propriis Solis, & Lunæ recipiatur, modo nostro concipiendi, & loquendi, diuisionem ac denominationem annorum & mensium. Sicut enim integra circulatio primi mobilis, dies appellatur, ita integra circulatio propria orbis solis vocatur annus, & duodecima pars eius vocatur mensis, sicut etiam integra conuersio orbis Lunæ secundum motum proprium vocatur mensis lunaris: vtraque autem conuersio tam solis quam lunæ numero dierum mensuratur, atque ita, simpliciter loquendo, motus primi mobilis est mensura omnium motuum corporalium, qui sub illo decurrunt.

Quo tempore mensurentur spirituales motus.

VI. *Prima sententia.* Sed quæretur fors aliquis, an etiam hoc tempus sit mensura aliarum actionum successiuarum, quæ motus phisici non sunt. Vbi sermo est tantum de successione continua, ut est spiritualis motus angelicus vel localis, vel intentionis, supponendo quod possit dari in actibus spiritualibus. Atque in hoc sensu in schola D. Th. communis sententia est hos spirituales motus non mensurari hoc tempore, sed esse constituendum aliud tempus in supremo angelo, v. g. quod sit mensura talium motuum Ita D. Th. 1. p. q. 10. ar. 5. & q. 58. ar. 3. quibus locis Cae. & alij recentiores idem tenent, & Capr. Henric. & alij supra citati. Obstat tamen huic sententiæ, quia nullus motus spiritualis est in angelis, in cuius durationem possit cadere prædicta ratio temporis, quia ad hanc rationem mensuræ non sufficit quod duratio vel motus sint in nobilissimo mobili, sed multo magis necessarium est ut motus sit regularis, vniformis, atque etiam quod sit semper in actu, perpetuus, ut semper possit deservire ad mensurandum, nullus autem motus angelorum est huiusmodi: nam cum ut voluntarius ac omnino liber nec semper durat, nec sit modo regulari & vniformi. Scio responderi posse, esse non detur talis motus regularis actu existens, posse tamen dari & consequenter posse etiam concipi, idque satis esse ad rationem mensuræ, quia mensura non exercet munus suum: nisi prout est in mente. Sed hæc responsio non probatur, tum quia ratio facta probat talem motum regularem & perennem non solum non dari de facto, sed etiam non esse naturalem spiritualibus substantiis: tum etiam quia talis conceptio illius motus possibilis, est imperitior ad cognitionem angelicam, & de se difficilius quam cognitio cuiuslibet motus existentis. Tum denique, quia alias eodem modo dici posset, non tempus, aut æuum existens in angelico creato, sed prout concipi potest in alio perfectiori possibili, esse mensuram.

VII. Quocirca, si respectu nostri loquamur, clarum est omnem illum spiritualem motum esse in nobis improprium, ut sit tempus, quo possimus uti ad mensurandum spirituales actiones, quia est nobis ignotus. Verum est ipsas etiam spirituales actiones quatenus tales sunt, esse in nobis ignotas, & ideo non esse à nobis mensurabiles ac proinde non indigere nos aliquo tempore, quod sit mensura illarum. Tamen quatenus illæ actiones aliquo modo à nobis cognosci possunt, nimirum, si coniunctionem aliquam habeant cum actionibus materialibus, sic non possunt mensurari nisi hoc tempore cœlesti, atque ita mensuramus nostras actiones intellectus & voluntatis hoc tempore. Si vero respectu ipsorum angelorum loquamur, certe illi nulla indigent mensura ad cognoscendam durationem suarum actionum, quia tā nota est ipsis quæcunque duratio per se ipsam, quam esse potest per comparationem ad aliam, ut paulo inferius magis declarabimus. Si tamen velint, possunt pro suo arbitrio uti huiusmodi comparatione & cognoscere tantum durasse motum inferioris angeli,

quam superioris: verum tamen id non tam erit cognitio scire vnum per aliud tanquam per mensuram, quā cognoscere eorum æqualitatem vel inæqualitatem in duratione: quomodo etiam potest angelus cognoscere quantum daret suus motus per comparationem ad motum cœli. Imo non solum angelus, sed etiam Deus, licet non indigeat, neque ut possit mensura extrinseca ad cognoscendam durationem cuiuslibet motus, non tamen potest cognoscere existentiam vnius cum alio & eorum æqualitatem, aut non æqualitatem in durando, nisi vtrumque simul cognoscendo, & illa inter se comparando, quia correlatiua sunt simul cognitione.

An successio discreta possit tempore mensurari.

VIII. *VIII.* Versus quæritur potest an tempus cœlesti sit mensura motus seu successione discreta. In qua re omnes conveniunt in assertionem negativam. Thomæ vero qui de hac successione discreta in angelis potissime loquuntur, aliud etiam tempus discretum assignant, quod sit mensura extrinseca omnium similitum motuum inferiorum. Verum tamen hac successione discreta duo possunt considerari: vnum est mora vniuscuiusque instantis, & consequenter mora etiam omnium instantium simul sumptorum sibi immediate succedentium. Aliud est numerus seu multitudo talium instantium. Prior consideratio per accidens est ad rationem discretae successione ut sit, nam per se solum spectat ad rationem quantitatis discretae seu multitudinis pluralitatis vnitarum sub eadem ratione indivisibilium: quod vero illæ unitates habeant maiorem vel minorem durationem accidentarium est. Sicut in ternario lapidum v. g. per accidens est ad rationem ternarii, quod illi lapides sint magnæ vel parvæ quantitatis, & quod iuxta se positi magnam vel parvam molem efficiant. Igitur idem proportionaliter est in discreta instantium successione aut compositione. Quapropter illa duratio & permanentia singulorum instantium, & consequenter etiam totius temporis ut aggregari ex illis, vel mensurabilis, non est propter indivisibilitatem singulorum instantium, vel mensuranda est tempore continuo, ad eum modum, quo statim de duode-

IX. *IX.* *Prima sententia.* Quantum ad secundum autem, id est, quoad numerum instantium, clarum est, non posse motum discretum ut sit mensurari aliquo tempore continuo, nec corporali, nec spirituali, quia neque ex diuturnitate continui temporis, neque ex coexistentia motus discreti in quolibet tempore continuo cognosci potest quis numerus instantium fuerit in tali motu discreto per diem vel per horam v. g. motus continui, quia in qualibet parte motus continui potest esse motus discretus constans pluribus vel paucioribus instantibus absque ullo certo termino.

X. *X.* Et eadem ratione non video, quomodo motus discretus possit mensurari per tempus discretum extrinsecum & existens, in superiori motu, quia nec potest mensurari quoad permanentiam instantium, nam hæc & est per accidens, ut dixi, & non est fixa & certa in aliquo ex his temporibus aut instantibus. Neque etiam potest mensurari quoad numerum instantium quia nullus certus numerus instantium correspondet in vno motu discretum fuerit in tali motu discreto in superiori angelo successio discreta constans ex tribus instantibus potest esse in inferiori alia, quæ constet decem aut pluribus instantibus & e conuerso: ergo non potest numerus instantium vnius motus per extrinsecum tempus alterius motus mensurari. Non est ergo necessaria hæc extrinseca mensura respectu successione discretae, quatenus talis est, sed mensuranda est unitate repetita sicut omnis numerus per unitatem mensurabilis est: nam si internum vnus numerus mensuratur alio, solum est in quantum

quantum vnus materialiter est pars alterius, vt bina-
rius senarii, & tunc accipitur per modum vnitatis.

*An substantia corruptibiles mensurentur
tempore.*

XI. PRæterea interrogari solet, an hoc tempus celeste
mensuret etiam res corruptibiles quoad earum
substantiam, seu substantialem permanentiam: ea-
demq; interrogatio locum habet in omnibus rebus
Permanentibus corruptibilibus. De quibus commu-
nis sententia est hæc omnia mensurari hoc tempo-
re, vt patet ex D. Thom. 1. p. q. 10. art. 4. & ex aliis auto-
ribus supra citatis: sumiturq; etiam ex Arist. 4. Physi-
cor. c. 14. tex. 133. vbi ait: Omnes res que generantur, & cor-
rumpuntur, hoc tempore, mensurantur. Addit vero Duran-
dus in 2. d. 1. q. 6. h. 15. tempus non esse mensuram homo-
geneam harum rerum, sed alterius rationis, eo quod
tempus sit duratio successiua, durationes vero har-
um rerum permanentes sint. Quod si obieciat men-
suram debere esse homogeneam. Respondet for-
tasse, id esse verum respectu proximi mensurabilis,
non vero respectu eius, quod tantum ratione alte-
rius, & quasi per concomitantiam quandam mensu-
ratur. Que doctrina mihi non displicet, nam tempus
per se primo non mensurat permanentiam rerum
corruptibilium, que secundum se indiuisibilis & cō-
sequenter, etiam mensurabilis est, sed mensurat,
per se primo mutationes harum rerum, vt genera-
tiones, incrementa, alterationes, & corruptiones ear-
um, & consequenter mensurat etiam durationem
esse illarum, quatenus his mutationibus subest, aut
subesse potest. Quomodo dixit etiam Arist. 4. Physi-
cor. c. 12. re. 118. tempus per se mensurare motum, per accidens vero
quietem, nam tempus per se mensurat prius, & poste-
rius, quæ per se inveniuntur in motu, in quiete vero
solum per relationem vel comparisonem ad mo-
tum, vt bene exposuit Albert. in Summa de qua-
tuor coquibus 1. par. q. 3. art. 1. ad vlt. Atq; ita fit, vt
tempus per se ac immediate sit mensura homogenea
durationis motus: durationis autem permanentis
solum quasi per accidens, & ratione alterius tanquā
mensura aliquo modo alterius rationis, quod in se-
quenti puncto magis explicabimus.

Res corruptibiles, an tempore mensurentur.

XII. *Primæ sen-
tentia.* Vltimo inquiri potest, an tempus mensuret etiā
durationem rerum incorruptibilium, quam x-
uum esse diximus (nam æternitas Dei sub quæstione
non cadit, cum illa infinita sit, & immensurabilis) D.
Thom. cuiusque sectatores aliqui Theologi qui ne-
gant, spirituales actiones: aut motus etiam successi-
uos & continuos mensurari hoc tempore à fortiori
id negant de esse rerum incorruptibilium, seu dura-
tione earum, & ideo constituunt vnum primum x-
uum, quod in illo ordine habeat rationem extrinse-
cæ mensuræ talium rerum quoad esse earum. Cui
sententia fauet Arist. in 4. Physi. cap. 12. tex. 117. vbi a-
perte sentit res incorruptibiles non mensurari tem-
pore. Et hac ratione 1. de Cælo c. 3. text. 20. & c. 9. text.
100. ait, celestia corpora, & substantias superiores
non esse tempori subiecta. Quod etiam docent ali-
qui Philosophi his locis. Alii vero Theologi putant
etiam esse angelicum mensurari hoc tempore quo-
ad suam durationem. Ita Durand. in 2. qu. 5. à qua o-
pinatione non dissentit Gab. ibi & Ocham in 2. qu.
13. Et fundamētum esse potest, quia supra ostensum
est, vnum xuum non posse esse mensuram alterius,
quoad durationem eius, quia per comparisonem
vnius ad aliud non potest cognosci quantum alterū
durauerit: at vero per comparisonem ad nostrum
tempus optime cognoscitur quantum angelus du-
rauerit in suo esse: ergo non potest alia mensura etiā
harum rerum, nisi nostrum tempus.

XIII. Ego vero in primis existimo, tempus hoc non ha-
Tom. II Metaphyf.

bere rationem mensuræ respectu ipsorum angelorum
ad cognoscendam durationem sui proprii esse. Pro-
batur ex dictis, primo, quia non est notior angelis
duratio temporis, quam propria, imo, si fieri potest
comparatio, magis nota est propria duratio, tanquā
magis cognata magisq; immaterialis, & ideo ex se
etiam magis intelligibilis. Secundo, quia magna ef-
fet imperfectio, indigere tali mensura intrinseca ad
suas proprias durationes cognoscendas.

Dices: Non potest angelus, intuendo tantum sei-
psum aut alium angelum cognoscere quantum du-
rauit, nisi durationem suam vel alterius ad nostrum
tempus comparet: ergo indiget hac mensura. Ante-
cedens patet, quia cum propria & intrinseca duratio
indiuisibilis omnino sit ex se & in se absolute nō ha-
bet, quod sit tanta vel quanta, ergo non nisi per com-
parationem aut durationem quantum potest sub ea
ratione cognosci. Respondeo concedendo non pos-
se illam durationem indiuisibilem cognosci ad mo-
dum quanti, nisi cum aliqua habitudine vel conno-
tatione successiōis aut existentis, aut possibilis, seu
imaginarie, nam hoc saltem conuincit argumentū
factum. Vnde vt angelus cognoscat quantum ipse
durauerit ex quo creatus est vsq; modo, necesse est
vt cognoscat quanto tempori successiūo extiterit,
vel coexistere potuerit, quia alias non potuerit cōsi-
pere suam durationem vt quantam, quia hæc deno-
minatio non conuenit illi ab intrinseco, & secundū
se: ergo per comparisonem ad aliquid quantū aut
realiter existens, aut conceptum. Hinc tamen non fit
vt angelus vtatur tempore vt mensura ad eam co-
gnitionem, sed solum sequitur illam cognitionem
ex parte obiecti esse aliquo modo respectiuam, & id-
eo non posse cognosci vnum extremum, nisi vt ter-
minatum & comparatum ad aliud.

Quapropter nō solum angelicus intellectus, ve-
rum etiam diuinus, non cognoscat durationem an-
geli vt tantam vel quantam, nisi cum dicta cōcomi-
tancia, tum quia necessitas cognoscendi simul cor-
relatiua, respectu omnis intellectus locum habet eo
quod intrinsece proueniat ex connexionē obiecto-
rum: tum etiam, quia cum illa denominatio quanti
sit aliquo modo extrinseca, non potest cognosci vt
in se est, nisi cognita forma ex qua desumatur. Quod
si quis rursus obieciat, quia hinc sequitur idem esse
dicendum ex æternitate ipsa. Respondemus, quod æ-
ternitas non est tanta, vel quanta, sed infinita, quam
infinitatem ex se & absolute habet sine comparatio-
ne ad aliud. Si quis tamen eam velit cōcipere vt ex-
tensam & quantam non poterit eam concipere nisi
cum habitudine coexistentiæ ad durationem succes-
siuam, saltem imaginariam, non tanquam per men-
suram eius, sed vt per terminum coexistentiæ, rati-
one cuius per modum quanti concipitur.

Atq; hinc fit, vt etiam respectu nostri intellectus
xuum angelicum non sit proprie & per se mensura-
bile nostro tempore, sed solum per accidens, & ex im-
perfectiōe nostra, primo quidē, quia ratio mensu-
ræ & mensurabilis respectu alicuius intellectus sup-
ponit vtrumque esse in se cognoscibile à tali intelle-
ctu: xuum autem angelicum non est ita cognoscibi-
le nobis. Vnde ex vi nostri temporis nunquam pos-
sumus cognoscere quantum angelus durauerit, nisi
fortasse mensurando aliquem effectum eius, in quo
sit successio, & deinde ex duratione effectus durati-
onem causæ colligendo: vt, quia angelus mouet cœ-
lum durauit cœli motus. Hæc autem mensuratio &
est valde remota & per accidens, & adhuc non po-
test esse, integra mensuratio illius esse: nam inde ad
summum colligitur, non fuisse illum effectum sine
sua causa, non tamen potest colligi an ante effectum
talis causa extiterit, & quantum durauerit.

Ex quibus tandem concluditur absolute negan-
dum esse tempus nostrum esse mensuram æternæ. **XVII.**
Fff

*Authorem
sententia.*

XIV.
Obiatio.

XV.

XVI.

XVII.

*Nostrum tem-
pus, per se non*

surat uni-
germa.

rum. Et consequenter etiam concedendum est illa non esse mensurabilia secundum se quantum ad durationem, quia si respectu nullius intellectus ita possunt mensurari, absolute non sunt ita mensurabilia. Quocirca cum D. Tho. his rebus spiritualibus attribuit extrinsecas mensuras, existimo non esse intelligendum de mensura durationis quantum ad quantitatem eius extensivam (ut sic dicam) sed quantum ad perfectionem, eo modo quo primum in vnoquoque genere dicitur mensura ceterorum.

SECTIO XII.

Quenam duratio ad predicamentum Quando pertinet, & quando huiusmodi predicamentum constituendum sit.

Descriptio ipsius Quando tractatur.

Superest, ut ex his omnibus, quae de durationibus diximus, rationem & constitutionem predicamenti Quando colligamus. Est enim valde incertum apud autores, in quo fortassis ratio huius predicamenti consistat. Nam licet ex ipso nomine satis constet, Quando esse aliquid ad tempus, & consequenter ad durationem pertinens, quid vero illud sit, obscurum est. Vox enim quando Latine sumpta, non est nomen significans rem aliquam, sed est adverbium temporale, quo utimur ad interrogandum quo tempore res sit aut operetur, & inde vero translata est ad significandum rem illam, vel denominationem seu formam denominatam quam rei tribuimus, cum ad interrogationem de Quando respondemus: dicimus enim hodie, aut heri, aut alio simili tempore esse vel fuisse. Unde Aristot. ubi hoc predicamentum attingit, nihil aliud dicit nisi Quando idem esse, quod esse in tempore, ut esse heri, vel anno praeterito. Gilbertus vero definit, Quando significare rationem ex temporis insidentia relictam, non tempus ipsum. Et infra ait, esse quandam, vel fuisse aut futuram esse, non vero esse tempus ipsum. Ex quo loco videtur sumpta illa vulgaris descriptio, quae etiam videtur D. Tho. opusculo. 43. Quando esse id, quod ex adiacentia temporis relinquitur. Loquuntur autem omnes auctores in his descriptionibus de tempore extrinseco, quod est in motu primi mobilis, quatenus res omnes temporales in eo, vel aliqua parte eius esse dicuntur.

Variae opiniones de natura ipsius Quando.

II. **Q**uid autem sit hoc quod relinquitur ex adiacentia temporis, variè exponitur. Quidam dicunt esse rationem, vel temporis ad rem, quae est in tempore, vel è contrario rei temporalis ad tempus: quae sit vel relatio contenti ad continentem, vel è conuerso contenti ad contentum. Veruntamen hæc opinio de relationibus sex ultimis predicamentis attributis, supra in vniuersum reiecta est. Et in presenti non videtur verisimilis, quia relatio continentis & contenti, non nisi per metaphoram videtur attribui rebus temporalibus respectu temporis extrinseci: nam in re nihil esse videtur nisi coexistentia quaedam, in qua tempus denominatur continens, quia semper excedit temporalia, praesertim corruptibilia, quae cum tempore incipiunt & desinunt, eo semper fluente & durante, & ideo in eo contineri dicuntur. Quae locutio metaphoram includit: nam proprietates solè consistit in coexistentia rerum cum tempore seu aliqua parte eius: relatio autem coexistentiae non pertinet ad speciale predicamentum. Relatio praeterea mensurae & mensurati, si attente considerentur, quae de

mensura dicta sunt disputat. 42. sect. 3. non est realis, sed rationis. Quia non habet aliud fundamentum, nisi quod vnum sit medium, & quali instrumentum, ad cognoscendum aliud: hoc autem non ponit in rebus ipsis realem & intrinsecam habitudinem, nam quacumque ratione aliqua res sit nobis notior, & aliqui sit apta ut comparari vel conferri cum alia possit, & sic deferre ad ostendendam quantitatem eius potest exercere munus mensurae, quod solum est opus rationis: sicut etiam vnitas habet rationem mensurae respectu multitudinis, & illa relatio nec realis est, nec, si esset, speciale predicamentum constitueret. Idemque argumentum fieri potest de omnibus humanis mensuris, ut modium, libra. Quibus illud etiam cum tempore commune est, quod non ex folis conditionibus rerum, sed adiuncta aliqua institutione humana, & operatione rationis subeunt rationem mensurae: ergo vel hac sola ratione manifestum est, relationem mensurae & mensurati in eis fundatam non posse esse rei, sed rationis.

Dixerunt ergo alii, hoc quod ex adiacentia temporis relinquitur, esse formalem quendam rationem absolutam & intrinsecam, quae in ipsis rebus temporalibus inest, quatenus in tempore sunt: ita ut ipsum Quando non dicat solam denominationem extrinsecam, sed intrinsecam, & non relativam, sed absolutam; elictam ex temporis adiacentia. Sed hæc sententia explicari potest, nec intelligi: vnde omnino est falsa, & gratis conficta. Quid est enim illud absolutum in re temporali, ex adiacentia temporis relictum? Aut enim illud supponitur in re temporali: ex extrinseca natura eius, ut sit mensurabilis tempore: & sic falsum est, illud esse elictum ex adiacentia temporis: nam per se inest, & conueniret rebus si existerent cum suis naturalibus proprietatibus, & conditionibus, etiam si nullum esset in rebus tempus extrinsecum. Unde talis proprietas esse non potest, nisi vel quod res sint corruptibiles, aut quod habeant esse aliquo modo in motu consistens, aut certe quod durent tali modo: quae proprietates non pertinent ad predicamentum Quando excepta pro nunc duratione, de qua inferius dicam: de cæteris autem hic per se notum est. Aut vero illa ratio absoluta resultat in rebus ex adiacentia temporis extrinseci, & hoc etiam dici non potest, quia, ut dicebam, illa adiacentia in re non est nisi coexistentia: ex sola autem rerum coexistentia non resultat aliquid absolutum in eis, per se loquendo, sed tantum mediante efficientia, si vna possit in aliam effluere, quod de tempore dici non potest. Omnis vero alia adiacentia, quae praeter coexistentiam cogitatur, est sola mensuratio, quae per rationem fit, ex qua multo minus potest tale absolutum provenire nullam ergo verisimilitudinem habet hæc assertio.

Alia ergo & communior sententia est, Quando solum esse denominationem extrinsecam, provenientem rebus ab extrinseco tempore mensurante. Hanc sequitur D. Tho. in dicto opusculo quamvis sub distinctione. & eam significat Gilbert. Nam cum hanc denominationem affectionem appellasset statim correctionem adiunxit, ut ita dicam. Soro etiam in Logica, & alii hoc sequuntur. Sed in hac sententia nonnullae occurrunt difficultates, quaedam ad hominem, aliae simpliciter. Nam si Quando est denominatio extrinseca à tempore, ergo sine causa dicti auctores reiecit tempus ab hoc predicamento, dicentes, Quando non esse tempus, sed aliquid ex tempore relictum. Quod si dicant Quando & tempus distinguuntur sicut albedinem, & esse album, velitem, & esse velitem, & in vniuersum sicut formam & esse proveniens a forma esto hoc verum sit, inde concluditur, Quando copari ad rem, sicut formam ad effectum formalem, vel sicut concretum ad abstractum, & ideo non magis hæc esse distinguenda aut separanda in hoc predicamento quam in aliis. Eo vel maxime quod praedicti auctores